



Fig. 1 - La pergamena di laurea di Bernardo Alberti, Bologna 16-3-1493 (Venezia, Biblioteca Correr, raccolta Cicogna b. 3786, perg. 20).




Fig. 2 - Frontespizio delle Memorie historiche della città di Sospello, di Bernardo Alberti, ricopiata da Sigismondo Alberti nel 1724 (Modena, Biblioteca Estense universitaria, arch. Muratori, ms. 42.15).



Fig. 3 - Stemma di Bernardo Alberti di Sospello (1493).






Fig. 4 - Sospello, via S. Pietro / piazza S. Michele, stemmi in pietra degli Alberti (fine XV-XVIII sec.).



Fig. 5 - Briga, chiesa di S. Martino, altare della Natività (1514).



Fig. 6 - Briga, chiesa di S. Martino, altare della Natività, particolare di uno stemma Alberti (1718).




Fig. 7 - Cartina geografica con la distribuzione degli stemmi albertiani con catene.



Fig. 8 - Stemmi con catene di famiglie Alberti: 1. Alberti di Firenze (Catenaia/Giudice, 1685/1722); 2. Tommaso Alberti (1390-1455) di Pont-Saint-Esprit (Occitania); 3. d'Albert de Luynes (Loira); 4. Alberti di Genova (1550); 5. Alberti di Arezzo; 6. Alberti di Orte; 7. Alberti di Sospello (1493); 8. Alberti di Briga (1514); 9. Alberti (*Stemmario Trivulziano*, 1495 ca.); 10. de Albertis di Genova (Castelletto, XIX sec.). Da 1 a 4 Alberti di Firenze e suoi rami.




Fig. 9 - Stemmi con catene di famiglie Alberti: 1. Aliberti di Napoli; 2. Alberti/Aliberti di Pentadattilo (Rc; lapide del 1627); 3. Alberti di Sicilia.

Bologna 16 marzo 1493

*Pergamena di laurea di Bernardo Alberti*

Venezia, Biblioteca Correr, raccolta Cicogna b. 3786, perg. 20.

recto

In Christi nomine, amen. Gloriosa scientiarum mater ac toto terrarum orbe veneranda, famosissima et antiquissima Studii Bononiensis auctoritas illos dumtaxat ad publicam et eminentem cathedram suppremiq; doctoratus dignitatem extollit, quos certamen generalis examinis ad id promovit per concurrentem virtutum copiam meritorumque excellentiam et quos meritissime scandere promerentes laboriosis studiis, acutis ingeniis et continuis vigiliis sapientiae palmam consequutos dignis laudum testimoniis perhibet comprobatos, ita ut taliter promovendi apud universos seculi principes ad regendas gubernandasque res publicas ceteris hominum generibus etiam eiusdem ordinis merito veniant singularibus privilegiis laudibus, honoribus ac dignitatum culmine merito preferendi. Cum igitur vir nobilis, egregius atque preclarus moribusque ac scientia decoratus, dominus Bernardus de Albertis de Sospitello, Vintimiliensis diocesis et patriae Niciae in Provincia, qui sua florente etate continuis vigiliis et exercitationibus in plerisque Italiae floridis gymnasiis iuri operam dedit, actus scolasticos gerendo ac publice et private disputando, arguendo et conferendo, cuius rei tum testibus fidedignis cum sua singulari virtute in rigoroso examine luculentum ac fortissimum exhibuit argumentum, fuerit presentatus magnifico ac generoso equiti aurato et iuris canonici doctori dignissimo, domino Ioanni de Sala, civi Bononiensi, vicario in hac parte reverendi in Christo patris, domini Antonii Galeatii, ex illustri Bentivolorum prosapia apostolici protonotarii necnon almi Studi Bononiensis archidiaconi et matoris cancellarii meritissimi per magnificos equites auratos ac iuris utriusque doctores famosissimos, dominum Vincentium de Paliotis, serenissimi regis Anglie consiliarium decentissimum, et dominum Ludovicum de Bologninis, Sacri Lateranensis Palatii auditorem consistorialem dignissimum, ac per spectabiles et eximios legum doctores, dominum Ioannembaptistam de Campanatiis et dominum Ludovicum a Gipso, cives Bononienses honorandos, examinandus et approbandus in iure civili et

ad hoc se subiecerit arduo, rigoroso ac tremendo examini privato omnium dominorum doctorum inlyti Collegii iuris civilis magnifice civitatis Bonon(iae). In quo examine ipse dominus Bernardus, non scolastico sed doctoreo quidem more ac ita et taliter se gessit et habuit quod ab omnibus dicti Collrgii iuris caesarei doctoribus in ipsa iuris civilis scientia fuit unanimiter, concorditer, laudabiliter, pari voto ac nemine discrepante, benemerito approbatus; moxque fuit idem dominus Bernardus per eosdem dominos promotores prefato domino vicario etiam presentatus propter doctoratus apicem assumendum in iure civili: idcirco prefatus dominus Ioannes de Sala, vicarius antedictus, auctoritate eiusdem vcariatus officii et in hac parte concessa per praelibatum reverendum dominum archidiaconum, consideratis scientia, moribus, virtutibus ac venustate quibus eundem dominum Bernardum de Albertis omnipotens illustravit, prout in dicto suo examine mirifice demonstravit, de consilio et assensu omnium dminorum doctorum, ibidem existentium, prefatum dominum Bernardum pronunciavit, declaravit ac fecit et constituit doctorem in iure civili, traddens sibi licentiam et omnimodam potestatem de cetero et in futurum in ipsa facultate iuris caesarei legendi, glosandi, docendi, consulendi, interpretandi ac magistralem cathedram ascendendi caeterosque actus doctoreos publice exercendi Bononiae et ubique locorum et illico, ut idem dominus Bernardus possessionem huiusmodi doctoratus ab omnibus in posterum noscatur adeptus. Praefatus magnificus dominus Vincentius de Paleotis, suo nomine ac vice et nominibus dictorum domini Ludovici de Bolognini, domini Ioannisbaptiste de Campanatiis et domini Ludovici a Gipso, ipsius domini Vincentii compromotorum, insignia ipsius doctoratus eidem domino Bernardo, ut sua erudita oratione petiit, hac forma tradidit: nam primo librum iuris caesarei clausum mox et apertum eidem prebuit, secundo biretum sive diadema doctorale capiti ipsius domini Bernardi imposuit ipsumque tercio anulo aureo nomine scientiae iuris civilis despensavit, sibi pacis osculum magistrali cum benedictione exhibendo, ut idem dominus Bernardus, doctor novellus, sic laureatus et insignitus felici coronetur in patria per eum qui trinus et unus regnat Deus per infinita seculorum secula gloriosus, mandans praefatus dminus vicarius ac rogatus idem dominus Bernardus de Albertis per me Hieronymum de Canonicis, notarium infrascriptum publicum, de predictis confici instrumentum in formam privilegii, muniendum sigillo prelibati reverendi domini archidiaconi pendente. Datum et actum Bononiae, in



sacristia veteri ecclesiae cathedralis Bononiensis, die sabati sextodecimo martii anni millesimiquadringsesiminagesimatercii, indictione decima, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandri, divina providentia papa sexti anno primo, presentibus ibidem egregiis viris, domino Ioannebaptista, filio Balthaseris de Malavoltis alias de Senis, cive Bononiensi, domino Glaudio Martini de Baugiaco patriae Breissie, Lugdonensis diocesis, domino Stephano Ludovici, cive Lausanensi, domino Mauricio Bonini, cive Lugdonensi, domino Antonio de Bellovisu in Dalphinatu, domino Ludovico de Longolio, cive Parisiensi, omnibus scolaribus studentibus Bononiensibus, ac venerando viro, domino Affino de Riculfis, presbitero de Sospitello, Vintimiliensis diocesis Patriae Niciae in Provincia, omnibus testibus ad predicta adhibitis, vocatis et rogatis.

Ego Hieronymus quondam ser Antonii de Canonicis, civis Bononiensis, publicus imperiali et comunis Bononie auctoritatibus notarius et nunc notarius prelibati Reverendi domini archidiaconi limite deputatus, premissis omnibus et singulis interfui eaque rogatus scribere scripsi et in notam reddegi. Et me, aliis occupato negotiis, superscriptum instrumentum in formam privilegii ex notis meis aliena manu sumi et in hanc publicam formam reddigi commisi. In quorum fide hic me subscripsi et signo meo solito signavi.

verso

Ad... del Sig.r Bernardo de Albertis ...vale co. ... .lla Cod. Cic. 3786.